



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Titulus XII. Ut Ecclesiastica Beneficia Sine Diminutione Conferantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

corum Seminarium erigendum, atque ex singulorum Canonicorum Ecclesiasticis proventibus aliquid contribuendum? Pro negativa constitutionis parte est regula recepta, quod major pars universitatis de rebus, aut juribus singulorum, vel cum præjudicio singulorum statuere non potest, nisi omnes consentiant *argum. L. per fundum 11 ff. de servitutibus rusticorum prædiorum*. Et tradit *Gl. recepta in c. cum omnes 8. de constitutionibus*. Nihilominus affirmantem partem tenent *Innoc. Ans. & Abbas hic*. Ubi singulariter tradunt, quod major pars universitatis, seu Collegij decernere possit cum præjudicio, seu diminutione juris singulorum, si singuli jus illud non participant, ut proprium, ac singulare, sed ut jus Ecclesiæ, alteriusque universitatis. Quæ est probabilis resolutio, secundum quam dicendum, quod pars major, & sanior communis, universitatis &c. pacisci, aut

transigere possit circa jus, v. g. pascendi, aut ligna cadendi ad universitatem, v. g. oppidum spectans, ita, ut singuli oppidani eo jure in proprium commodum gaudeant, cum non sit jus singulorum, sed jus communis, licet usus, aut fructus singulorum sit. Ita similiter jus percipiendi redditus beneficiales principaliter pertinet ad Capitulum, seu Ecclesiam, licet secundarius usus, & fructio nem partes, ac portiones visæ, & attributæ sint singulis. Necessarium tamen est, ut dispositio, aut decretum tale fiat propter necessitatem, aut utilitatem Ecclesiæ; utilitas enim necessitate æquiparatur. Sin autem fiat propter alioquin pio, sed extraneo sive ad Ecclesiam illam non multum pertinente, aut sine necessitatis ratione, tunc pars minor, vel unusquis se opponere, & impedire potest, pro tendendo proprium, seu singulare præjudicium.

## TITULUS XII.

### UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.



Um in superioribus titulis dictum sit de beneficijs Ecclesiasticis, eorumque collationibus, & num fieri possint Sede vacante, an Prælati collationes facere possint sine Capitulo, & quomodo Capitulum conferre, vel alia Ecclesiastica tractare debeat, annectitur hic alia Canonica doctrina, quod Ecclesiastica beneficia purè, integrè & sine diminutione conferenda sint.

#### CAPITULUM VNICVM.

#### Ut nostrum.

#### PARAPHRASIS.

Relatum fuerat Innocentio III, quod Cancellari a Mediolanensis Ecclesiæ ultra an-

num vacarit, & idè ad Sedem Romanam collatio devoluta sit: quare ipse mandavit, ut certæ personæ conferretur, cum autem Archiepiscopus variam contrariam replicaret, causam ad se vocavit Papa, & cum coram ipso tum procurator Archiepiscopi, tum H. Ciacus, cui idem Archiepiscopus occultè Cancellariam contulit, tum testes constituti essent, narratum fuit, quod deo H. Archiepiscopus sigillum tradidit post alterum mandatum Papæ, sive etiam avocationem. Ea propter Petrus fex causam quibusdam delegavit sub ea forma, ut si cognoverint, sigillum traditum post causæ avocationem, conditionem irritam pronuntient. Sicut potest in c. *Ut nostrum 20. de appellacione*

hu. Porro his ita actis ulterius replicavit Archiepiscopus, cum nemine sine accusatore damnetur, neque circa hoc negotium in forma iudicii processum fuerit, ideo testium depositiones ipsi non præjudicare. Quæ querela à se adversus Pontificem tenderet, noluit is præmittere, quin commissa à se inquisitionis causam, & ordinem plenius exponeret, ne Pontifex perperam alicui processisse videretur, præsertim cum ratio, quæ reddetur, posteris profutura sit. Quandoquidem enim juris explorati est, quòd, actore non probante, is, qui queritur, etsi nihil præstiterit, absolvi debeat, ideo videri potest Pontifex Archiepiscopo suo convento, malitiosè, vel imprudenter probationis onus super tribus Articulis imposuisse, videl. quòd Cancellariam personæ idoneæ, & modo Canonice, & tempore competente contulerit. Verùm cum collatio facta Clerico H. occulta esset, & ideo suspicione non carens, atque elapso anno nullus Cancellarius appareret, iusta præsumptio erat, collationem Cancellariæ ad Papam esse devolutam, & ideo à Pontifice sine culpa conferri statim potuisse, nam licet is Dei locum in terris teneat, tamen de occultis divinare non potest. Quam ob rem tum ob hanc præsumptionem, tum ex eo capite, quòd Archiepiscopus prius responderat, Cancellariam se non contulisse, facultas hæc probandi collationem factam esse legitime, non gravamen, sed gratia censeri debet, neque ex malitia, sed benignitate profecta. Ulterius, ut etiam de modo collationis Canonice Papa probationem exigeret, ipsemet & Archiepiscopus causam dedit, quando sæpius per literas Papæ significavit, ac demum per testes probavit, Cancellariam à se collatam esse proventuum sibi retenta. Quare non immeritò Papa talem concessionem suspectam habuit, & idcirco, cum non tam ex potestatis plenitudine, quàm ex debito officij possit, imò

teneatur, de subditorum excessibus, in ordine ad correctionem inquirere veritatem, præsertim ipsomet Archiepiscopo causam præbente, inquisitionem fieri mandavit. Igitur omnibus consideratis in tribus Archiepiscopus culpabilis reperitur, videl. circa contrarietatem responsi, cum nemini omnino, sed multò minus Pontifici debuerit ex certa scientia contraria respondere; circa carnalitatem animi, quia non ex affectu carnis, sed iudicio discreto officium, ac beneficium Ecclesiasticum personæ magis idoneæ conferre debuisset. Demum circa inhonestatem facti, quia non licitum est, ex qualibet pacto, seu conventionem, aut sub modo, seu præscripto tenore officium Ecclesiasticum conferre, & sibi proventus retinere, cum in Concilio Lateranensi prohibitum fuerit, ne quis conferendo Ecclesiasticum beneficium partem aliquam proventuum suis usibus, aut commodis retinere præsumat, & alibi cautum reperitur, quòd Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferri debent. Quam ob rem in hoc puncto distinguendum, num collator beneficij proventus ipsius ante collationem perceperit, nec ne, si enim ipse non perceperit, sed alius, & ex collatione consequatur, ut ipse percipiat, censeri debet pravitas simoniaca. Sin autem ante collationem perceperit proventus, iterum distinguendum, num collator ante collationem statuerit, ut pro iusta & necessaria causa proventus ad tempus detineatur, an verò conveniat cum eo, qui beneficium accepturus est, vel cum mediatore aliquo, ut, beneficio illi collato, collator ipse fructus percipiat. Prius illud licitum censeri debet, posterius nequaquam, ne via aperiat simoniacas pravitates palliandi.

SUMMARIUM.

1. Quando actore nihil probante in iudicio reus absolvendus sit, quandois nihil pro sua innocentia probaverit.

FF 2

2. Colla-

2. Collationem beneficij palam fieri de-  
bet.

3. Si Collator beneficij in hujus collatio-  
ne paciscatur, partem reddituum sibi  
relinqui, simoniaca collatio est, non  
autem si ordinariâ, & legitimâ au-  
thoritate, onus tale ob justam, & neces-  
sariam causam imponatur.

**N**otandum primum. Si actor in iudicio  
nihil probaverit, reus, etsi nihil præsti-  
terit, sive innocentiam suam non ostenderit,  
absolvi debet, *L. 4. C. de edendo. c. ult. § sane  
de iurejurando.* Excipe, si magna præ-  
sumptio sit contra reum, onus probandi ipsi  
injungi potest, sicuti hic dicitur, & in *L.  
Quintus § 1. ff. de donationibus inter vi-  
rum & uxorem.* ubi habetur, quæ con-  
stante matrimonio apud mulierem repeti-  
untur, à marito profecta censeri, & ideo  
contrarij demonstrandi onus mulieri possi-  
denti incumbere, & tradit *Gl. recepta in  
c. ex inclinatione § de procuratoribus.*

Aliæ exceptiones habentur in *L. cum de  
indebito § 2. ff. de probationibus.* Si quis  
pecuniam tanquam indebitè solutam repe-  
tat, & reus conventus neget solutionem fa-  
ctam, eamque actor probaverit, onus pro-  
bandi pecuniam debitam fuisse, imponitur  
ei, qui negavit; sin autem confessus fuerit,  
se pecuniam accepisse, præsumptio est, non  
indebitam fuisse solutam, cum nemo facile  
pecunias suas abiciat, vel indebitas solvat,  
& ideo probandi onus actori incumbit, præ-  
terquam si pupillus, aut minor sit, vel mu-  
lier, aut miles, aut agricola, aut alius sim-  
plicitate gaudens, cujusmodi personis suc-  
curri solet, quare nisi is, qui pecunias ac-  
cepit, eas sibi debitas ostenderit, restituere  
cogitur. Denique reus probationes ultrò  
assumere non prohibetur, tamen actor  
nihil probaverit; tunc verò, si probationes  
legitimæ agnoscantur, id commodi reus con-  
sequetur, ut pro ipso sententia positivè fe-  
ratur, videl. rem ad ipsum spectare, aut  
innocentem esse, cum alioquin, si neque  
ipse, neque actor probasset, tantummodo  
à iudicio illo absolveretur, quia contra

ipsum nihil demonstratum sit. *L. circa 2.  
ff. de probationibus.*

Notandum secundò. Tamen collatio-  
nem beneficij palam fieri debeat, tamen oc-  
cultata facta non debet irrita censeri. In  
*Gl. hic v. occulta;* in eoque differt collatio  
ab electione Ecclesiastica, quæ nisi publica  
sit, non valet. *c. quia propter 42. de elec-  
tione.* Veruntamen ad fidem faciendam  
de collatione beneficij requiruntur duo res-  
tes, vel instrumentum, uti videtur est apud  
*Garz. p. 8. c. 4. n. 10.*

Notandum terciò. Simoniacum cen-  
setur, si collator in collatione beneficij par-  
tem reddituum sibi dari paciscatur; verum-  
tamen, si non per modum pacti, sed per  
auctoritatem ordinariam, pars aliqua re-  
dituum ob justam, & necessariam causam,  
de beneficio vacante subtrahatur, etiam  
in ipsius conferentis v.g. Episcopi com-  
modum aliquo modo cedat, ad solvenda Episcopi  
debita v.g., id suapte naturâ Simoniacum  
est, nam hac ratione Papa annatas, seu ter-  
mi anni fructus postulat ex prælatibus,  
quas per confirmationem tribuit, simul  
esse licitum etiam Episcopis, tradit *Insu-  
centius & Gl. finalis hic argum. c. pendula  
verborum significatione.* Qui tamen reus  
nihil probat, sed potius contrarium sub-  
cat; liquidem ibi Papæ privilegio con-  
sum fuit Episcopo, ut fructus beneficiorum  
vacantium per biennium ad solvenda debita  
Ecclesiæ percipere possit; itaque spectat  
communi jure reus hæc potestas Episcopo  
negatur, quod etiam Romana curia tenet  
*argum. rubrica hujus tit. & c. ult. cano-  
1. q. 3.* quod beneficia absolute, & sine di-  
minutione conferri debent. Item *argum.  
Clement. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis.*  
Ubi unio beneficiorum cum Capituli copo-  
sensu Episcopo permittitur, ita tamen  
sua vel Capituli mensura non uniantur, cuius  
rei rationem affert *Gl. recepta ibi v. mensu-  
ne vel Prælatus vel Capitulum in propo-  
facto auctorizet.*

Sed quòd nihilominus in quibusdam  
Ecclesijs Germaniæ consuetudo vigeat, ut

beneficij, v.g. parochialibus, loco primo  
fructuum, seu annatæ nomine, quidpi-  
ana dematur ad Episcopales, proventus au-  
gendos, dixi lib. 4. tract. ult. n. 45.

TITULUS XIII.

DE REBUS ECCLESIE ALIENANDIS, VEL  
NON.



Um in præcedentibus titulis  
frequenter mentio facta sit  
alienationis Ecclesiasticæ,  
num ea fieri possit à Præla-  
to cum Capituli, aut sine  
Capituli consensu, & num  
à Capitulo, vacante Sede, idè ad plenio-  
rem consequendam doctrinam universim  
subijerit titulus iste.

CAPITULUM I.

Non licet.

PARAPHRASIS.

Non est concessum Episcopo, vel Abbati, qui  
duas Ecclesias subditas sibi habet, ter-  
ram, v.g. agellum, unius Ecclesiæ au-  
ferre, & dare alteri; permutationes ta-  
men honorum cum utriusque partis con-  
sensu instituire non prohibetur.

SUMMARIUM.

1. Abbas, seu Prælatus tam regularis  
quam secularis, si quasi episcopalem  
jurisdictionem in Ecclesiis aliquas  
habeat, potest in alienationibus re-  
rum talis Ecclesiæ auctoritatem inter-  
ponere.
2. Liberam tamen facultatem Episcopus  
non habet, res, & jura unius Eccle-  
siæ in aliam transferre pro suo placito.
3. Potest tamen duobus modis à Præla-  
to in alienatione rei Ecclesiasticæ aucto-  
ritas præstari.
4. Quod sit discrimen inter hos duos mo-  
dos?

1. Cujus Superioris auctoritatem Præla-  
tus regularis requirere debeat?

Notandum primò. Si Abbas seu Præ-  
latus regularis, aut secularis erga Ec-  
clesias quasdam veluti Episcopalem jurisdi-  
ctionem obtineat, auctoritatem interpone-  
re potest in alienationibus, & permutatio-  
nibus rerum Ecclesiasticarum, nam aucto-  
ritatem interponere in alienationibus ejus-  
modi, pertinet ad jus Episcopale. c. Abbatibus  
41. causa 12. q. 2. c. in venditionibus 40.  
causa 17. q. 4. & annotavit Abbas hic  
n. 3.

Notandum secundò. Episcopus non ha-  
bet liberam facultatem res, & jura unius  
Ecclesiæ transferendi ad aliam Ecclesiam. Ita  
hic & in c. Ecclesia 43. causa 16. q. 1. Ubi ta-  
men Gl. admonet, & Gl. super hoc c. v. ad aliam  
communiter recepta: quòd Episcopus id  
possit ex justa causa, videl. si una Ecclesia  
abundet, & altera indigeat argum. c. 3. de  
Ecclesijs adificandis. Dummodo tracta-  
tus cum Rectore, vel defensore Ecclesiæ, &  
Capituli consensus interveniat argum. c.  
tua & de his, que sunt à Prælati & c. Neque  
enim hæc reputari debet injuria, si dicta ne-  
cessitas translationem postulet, quia Ecclesiæ  
particulares sunt membra unius Ecclesiæ  
universalis, & idè sibi mutuo subvenire  
debent, sicuti monet Abb. hic n. 4. Antè  
omnia tamen ex cujusque Ecclesiæ rediti-  
bus providenda sunt necessaria Rectori, &  
ministris ejus, & Ecclesiæ fabricæ c. penult.  
tit. tit. Eleemosynæ quoque pauperibus  
loci ejus.

Pro pleniore intellectu eorum, quæ hic  
& in toto tit. dicuntur, adverte ex Mo-